



V

10th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

17
CHRISTO CLEMENTER ASPIRANTE,
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO

COENAE,

D'ECADIS SECUNDÆ:

Problemata. VIII. IX. X.

In Electorali ad Albim Academia,

in disputationem proposita,

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS FÖRSTERI

SS. Th. D. & Prof. Ordinarii,

RESPONDENTE

M. MATERNO SCHILTERO

Lipsiensi.

Ad II. Ianuar. horis locog. consuetis.

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.



PROBLEMA VIII.

*An recitatio verborum Cœna, quam vulgò
Consecrationem appellant, sit necessaria, &
quid in sacrâ hac actione præstet?*

PROPOSITIO I.



In disputatione proximè præcedente satis superq; ^{μετάθεσις}
probatum est & demonstratum, quis & qualis sit
modus præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna,
itemq; , an Sacramentalis & oralis manducatio se
mutuò tollant & evertant.

II.

Hinc jam rectâ transimus ad recitationem ver-
borum Cœna, quæ vulgò Consecratio nominari consuevit.

III.

De quâ in præsentî problemate quæritur: *An sit necessaria, & τὸ ζητῶ-
quid ac quantum in actione sacrâ Cœna præstet atq; efficiat?* ^{μερον.}

IV.

Ut autem plenius hoc Problema explicetur: Primò sanè omni-
um ipsa vox consecrationis, ita vulgò nuncupatæ, aliquantò pressius
evolvenda nobis & expendenda venit.

V.

Accipitur autem consecrationis vocabulum, græcis εὐλογία, διχῶς ^{ὁμωνυμία}
potissimùm. ^{vocabuli con-}

VI.

Vno modo de impio & superstitioso illo benedictionis com- ^{secrationis.}
mento, quo magi, incantatores & incantatrices, Turcæ item ac ^{I.}
Judæi, Papistæ, & id genus consimiles alij, uti, vel potius turpissi-
mè abuti consueverunt.

VII.

Altero solennis illa & maximè devota actio, quæ & sanctis Patribus, ^{2.}
Patriarchis, Prophetis & Apostolis in usu fuit, hac ipsa voce indicatur.

A 2

VIII. Ad

VIII.

Ad hanc classem & consecrationes illae Sacramentorum in Ecclesia usitatae merito referenda.

IX.

Propria vocis significatio.

Quo in significato accepta vocola τὸ Consecrare, sive εὐλογεῖν I. Cor. 10. 16. notat, cum gratiarum actionem ad Deum institutam pro salvifica passione ac morte hujusq; Sacramenti ante illam institutione: tum precationem, pro digna Coenae χεῖρες; tum elementorum ad hunc sacratissimum usum ordinationem, qua tam & sub illis dispensantur, accipiuntur & offeruntur verum corpus & verus sanguis Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi.

X.

Hae de voce rei: jam ad rem ipsam, de qua hic duo quaruntur & sub disputationis aleam vocantur.

Duo τὰ ζῆ-
μεν
μέρη.

1.

2.

1. Necessitas consecrationis. Syllogismus principalis pro astruenda eadem necessitate.

XI.

Primum est de benedictionis istius necessitate; secundum de ejusdem vi & efficacia.

XII.

Necessitas ejus patet ex causis, ob quas illa etiamnum, vi & vigore institutionis divinae in Coenam primam, observanda & celebranda.

XIII.

Inde nos pro Affirmativa ita concludimus: Quicquid: 1. habet Christi mandatum: 2. facit ad memoriam primae institutionis in Ecclesia recolendam: 3. cuius etiam vis & efficacia à Christo per ministerium in omnes posteriores Coenas sacras derivatur, eo fine, ut sub & cum elementis illis corpus simul atq; sanguis Christi distribuatur & sumantur: Illud u. iq; ad actionem S. Coenae omnino necessarium. Et verò recitatio verborum Coenae expressum Christi habet mandatum, &c. E.

XIV.

Assumpti probatione tri-
membris.

Maior, satis liquet, ideoq; ejus probatione nobis superfedendum cenlemus; Minor cum sit τριμερής: ejusdem membra singula paucis deinceps probanda aggrediemur.

XV.

1. Mandatum Christi.

Ac primo quidem mandatum Salvatoris de pronuntiatione verborum instit. continetur.

XVI.

In eo, quod dicitur: τὰ ποιείτε, hoc facite; quod ad benedictionem etiam referri posse, ab Apostolo haud obscure innuitur.

XVII. Ad

XVII.

Addit enim: ὅσκις ἂν ποιῆτε, θάνατον τῆς κυρίας καταγγέλλετε, Quotiescunq; feceritis, mortem Domini annuntiabitis, id quod εὐλογίας etiam ambitū contineri, non abs re statui storest.

I. Cor. II. 25. 26.

XVIII.

Porro ad memoriam primae illius Ἀγαπάξως in Ecclesia recollendam plurimum facit, idq; duobus modis:

2. Prima Ἀγαπάξως memoria.

XIX.

Vno, ut hoc pacto fides auditorum ἐπιείκεια, cum primis vero ἐπιείκεια παρρησίας Corporis, & Sanguinis Christi in Cæna, magis magisq; ascendatur & confirmetur.

1.

XX.

Altero vero, ut de fructu salutari huius Sacramenti, qui est remissio peccatorum, certiores reddamur; ideoque etiam Verba Cænae, non suppressa: sed expressa voce pronounciari convenit.

2.

XXI.

Benedictionem denique hanc ex Cæna à Christo primitus instituta per ministerium Ecclesiae transferri ad omnes alias Cænas sacras: id liquidò patet ex illustri canone Apostolico: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογῶμεν, ἐκὶ κοινωνία τῆς αἱματὸς τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἵνα;

3. Vis benedictionis primae Cænae in omnes posteritas.

I. Cor. 10. 16.

XXII.

Ubi in primis observandus articulus ὁ, quo nempe εὐλογία haec ad objectum suum τὸ ποτήριον videlicet, non ad autorem institutionis istius, refertur & accommodatur.

XXIII.

Unde postmodum is resultat effectus, quod nimirum facta & perpetrata solenni illa actione, elementa, ab omnibus alijs usibus profanis separata, Ἀγωνομῆν Corporis & Sanguinis Christi ulterò subserviunt.

XXIV.

Tantum de priori Problematis membro: restat posterius, quod est de Consecrationis vi & efficaciam.

2. Vis & efficacia Consecrationis.

XXV.

Hic vero ἐπιείκεια τὴν ἀλήθειαν ἀποχρῆσι τῶν ἐπεροδόξων agmina, quorum: 1. Παρισίων; 2. τῶν παππίζοντων.

Ἐπεροδόξων opinio duplex.

A 3

26. Πα- 1. Παρισίων



1. Papistarum.

XXVI.
Papistæ docent, vi consecrationis panem in corpus Christi & vinum in sanguinem commutari, adeoque Sacramentum Eucharistiæ integrum confici, verbis illis: Hoc est Corpus Meum, Hic enim est Calix sanguinis, ut loquitur Bell. l. 4. de sacr. Euch. c. 12. & seqq.

2. Παππίζοντων.

XXVII.
Παππίζοντες appellantur; qui in reliquis August. Conf. addicti, contendunt, post factam consecrationem nihilominus durare unionem sacramentalem, licet usus istius Sacramenti non accedat.

Orth. sententia.

XXVIII.
His Nos nostram opponimus sententiam, quæ statuit, Consecrationem non consistere in occultâ quadam vi, seu facultate, unionis Sacramentalis *συστατική*, etiam extra usum: sed in solo usu, quo sublato, desinit etiam ipsa *ἐν ᾧ ἡ συστατική*.

Ejusd. fundamenta.

XXIX.
Fundamenta hujus Nostræ Affirmativæ è & cum Libro Christianæ Concordiæ ponimus subsequentiâ:
Epit. p. 599. art. 3. & 4. Declar. p. 747.

1.

XXX.
1. Quia presentia corporis & sanguinis Christi in Cœna simpliciter & insolidum Omnipotentis Dei virtuti & Verbo, institutioni atq; ordinationi Domini nostri Iesu Christi, ascribenda.

2.

XXXI.
2. Verba illa Christi Verissima & Omnipotentia, in primâ institutione ab eo pronuntiata, non tantum in primâ illâ Cœnâ fuere efficacia: sed & eorum vis, virtus & efficacia adhuc hodie durat & valet.

3.

XXXII.
3. Unde eorundem verborum virtute & potentiâ. In omnibus Locis, ubi Cœna Domini juxta Christi *Ἀγία Ἐν* celebratur, & verba ejus usurpantur, Corpus & Sanguis Christi verè presentia distribuuntur & sumuntur.

XXXIII.
Christus enim (ubicunque adhuc institutio ipsius observatur, & verba ejus super pane & vino recitantur, & panis ac vinum ben-

benedictum distribuuntur,) per verba illa recitata, Virtute Prima in-
stitutionis, hodie etiam Verbo suo, quod repeti vult, efficax est.

XXXIV.

4. Ista tamen εὐλογία, seu pronuntiatio verborum Instituti- Pa. 794
onis, Sola non constituit sacramentum, nisi tota Cœna actio, prout à Chri-
sto ipso ordinata, observetur.

XXXV.

Ut itaque primum hoc Problema nostrum tandem finia-
tur, recitationem verborum Cœna suo modo necessariam esse, plurimumq;
ponderis & momenti, non quidem ad efficiendam: sed ad stabiliendam cor-
poris & sanguinis Christi præsentiam, obtinere, ex hæctenas dictis statui-
mus concludimusq;:

Ὅπερ ἐδείξαι.

PROBLEMA IX.

Quid sit sentiendum de ceremonijs, quæ circa
administrationem & usurpationem Cœ-
na adhiberi solent,

Ut sunt:

1. Usus altarium. 2. modus accipiendi panem
& vinum benedictum. 3. Ornatus Sacerdot-
alis. 4. Vasa sacra, Patehnen/ Kelche/ &
id genus alia.

XXXVI.

Quod Oecumenicus ille gentium Doctor Paulus passim præ-
cipit repetitq;: πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω: itemq; πάντα ἐυ-
χημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1. Cor. 14. 26. 40.

XXXVII.

Id ipsum quoque Zwinglio-Calviniani sibi dictum putare
& observare omninò debebant.

38. Ve]

XXXIIX.

Verum quid ab ipsis hac in parte paucis ab hinc annis in vicino principatu Anhaltino susceptum gestumque sit, notius, proh dolor, quam expedit.

XXXIX.

Quanto enim ibi cum fervore Zeli, quanquam nimis ἀναστροφῆς καὶ καταπίπτων, Rom. 10: v. 2. imagines hinc inde in templis passim dejectæ exque ejectæ fuerint, altaria diruta & everfa istius, Deformationis potius, quam Reformationis Ecclesiasticæ, tum institutæ, eventus, abundè latis testatus est & comprobavit.

XL.

Quod cum ita sit, visum est hac in συζητήσῃ hoc ipsum quoque Problema ventilandum suscipere: Quid nimirum statuendum de Ceremonijs, quæ circa Cœnæ administrationem in nostris vulgò adhibentur Ecclesijs.

XLI.

Ceremonie
4.

Ex earundem verò censu hæc 4. sunt omnium potissimæ: 1. Usus altarium. 2. Modus accipiendi panem & Vinum benedictum. 3. Ornatus Sacerdotalis. 4. Vasa sacra: Patehnen/Kelch, & hujuscemodi alia, De singulis paucula.

1.
Altaria.

I. DE ALTARIBUS.

XLII.

1.
Nomen altaris

Ut autem ab ipso statim nomine ordiamur, initio sanè liberè ter istud Adversarijs concedimus, nomen Altaris, græcis ἱεραστήριον Hebræis אֲבִיבָה ἱεραστήριον esse, & in numero τῶν ἁγίων.

XLIII.

Respexit enim in Ecclesia olim V. T. Sacrificia, quotidie celebrari, nec non & Eleemosynas à pijs in N. T. ad aram offerri solitas.

XLIV.

Ut ut verò, hoc τῶν ἀμφοῶν ipsis largimur: ἅξιον tamen ἕσται, sublato jam respectu hoc, planè expirasse, nosque in Ecclesijs etiam nūc altaria ejusmodi non habere aut retinere, ultrò profiteamur.

XLV.

Non est igitur, quod Anhaltini hoc ipso nomine tantopere in nostras Ecclesias desæviant ac debachentur, clamitantes ista adhuc

adhuc apud eas horrendis sacrificiorum idololatricorum βδελύγμοισι deser-
vire.

XLVI.

Nota enim & trita est, vel saltem esse illis debebat regula
illa Dialecticorum: Sapissimè omnes linguæ relativis utuntur loco abso-
lutorum, seu fundamentorum.

XLVII.

Veruntamen, longè aliud quid gravius huic suo instituto subesse, mox
dicitur, dum nempe, altaribus, seu mensis lapideis passim destructis & 1. *Objectio.*
dejectis, earundem loco ligneas substituunt, inq; illis S. S. Eucharistiam so-
lenniter administrant:

XLVIII.

Præterea hac ipsa quoq; in parte ipsius Christi, Σωτήρ ὁ ἡ-
μῶν Ἰουδαίων, exemplum, Cœnam primam super mensâ, non super
altari, in publico quippe κατὰ λόγον, instituentis ac celebrantis,

XLIX.

Benè nimirum ac perbellè ab ipso istud factum & peractum?
optimè sic Satanæ secum consentit? Scilicet,

L.

Nihil in eo positum esse, ipse eorundem Dux & antesignanus Resp:
Theod. Beza jamdudum fassus est, an in altari lapideo, vel in mensâ ligneâ,
Cœna Domini celebretur, annexâ simul hac ratione: Est enim res adiapho-
ra. In Colloq. Mompelg. fol. 424.

LI.

Eundem itaq; prius sibi ipsi concilient necesse est, quàm no-
biscum hac de re depugnent ac digladiantur quàm acerrimè.

LII.

Ad Christi exemplum respondemus, ratione loci, in quo prima Cœna
ab eo peracta, non potuisse eam super altari celebrari: Cur autem in hospitio
publico, non in templo Hierosolymitano, eadem instituta, non à nobis,
Sed à Christo ipso rationem hujus instituti Antagonista nostri deposcant, qui
procul dubio suo hoc: Ita Placuit, ipsis responsurus.

LIII.

Præterea & hoc nobis objiciunt: Altaria ad cultum N. T. non 2. *Obj.*
pertinere, quia in eo Sacrificia interventu mortis Christi in cruce penitus con-
summata sint planeq; sublata, ita ut nullus amplius eorundem
usus.

B

54. Cujus

LIV.

Cujus sui objecti hanc addunt rationem; quia Ἀρχιερεὺς N. T. Christus non sit: factus aut procreatus è tribu Levi, vel Aarons, qua altari-
bus opus habuit ad quotidiana sacrificia.

Resp.

1.

2.

1.

Fall. finium.

L V.

Sed id ipsum quoq; facile diluitur, negando. 1. consecutionis ra-
tionem: 2. dicendo, committi hic paralogismum τὸ μὴ αἰτίῃ ὡς αἰτίῃ.

LVI.

Ratio negationis est, quia non sequitur: Sacrificia in V. T. usitata non
sunt amplius in usu: E, nullus hodie usus altarium.

LVII.

Licet enim iste jam eorundem usus in N. T. p' anè cessavit: attamen
alium omnino nob. etiamnum prestant usum, & quidem eundem, quem olim
mensa Christo & Apostoli præstiterunt.

LVIII.

Fallaciam deinde τὸ μὴ αἰτίῃ committunt, dum Sacrificijs in N. T.
abolitis, ipsorum etiam altarium abrogationem conatu sanè maximo, modò
non planè irritò, moliuntur.

2.
Fall. non
causa.

LIX.

Hoc ipsorum fundamentò destructo, facile quoq; jam col-
labascit, quod ei superstructum.

LX.

1. Licet enim altaria non amplius sacrificijs deserviant, uti in V.
quondam Test. nullum tamen etiam de eorundem demolitione expressum
in N. T. continetur mandatum.

LXI.

2. Etsi Christus non fuit ἀρχιερεὺς secundum ordinem sacerdotum
Leviticorū: fuit tamen ἱερεὺς κατὰ τὰ ἔν μὲλ χριστὸς, teste epistola ad Heb.
c. 7. v. 17. Pl. 110. v. 4.

LXII.

3. Quoniam & sacrificia & totus cultus Leviticus in N. T. desit: nubi-
lominus tamen Christus hodie quoq; præsto est suis cum beneficijs, quancumq;
Cœna secundum ipsius institutionem celebratur.

LXIII.

Urgent porrò: Altaria in Ecclesiâ N. T. meris riti humanis traditio-
nibus, accersita ex Lege Mosaicâ, adeoq; ad cultum planè inutilia.

9. Obj.

LXIV.

At enim verò: 1. hic iterum nobiscum non pugnant: siquidem
semper

Resp.
1.

semper negavimus. & adhuc negamus, altaria in N. T. jam cultus gratia a-
surpari. LXV.

2. Concedimus & ipsi, ista in libero Ecclesie usu tanquam τὰ ἐν μέσσοις
νεύματα, ut Nazianz. loquitur, posita, quippe qua in scriptura nec ex-
presse mandata, nec prohibita. LXVI.

3. Committimus eos denuò cum Ductore & Doctore suo Bez, qui
jam pridem id ipsum etiam nostratib. concessit, Cœnam nim. Domini
in altari posse celebrari: Coll. Momp. fol. 425. LXVII.

Quò pertinet exemplum altaris illius marmorei, quod idem ibi-
dem refert, Losannâ Bernam in Helvetia fuisse translatum, in quo Cœn-
Domini ibi celebretur.

p. ead 425. LXIIX.

Cæterùm causæ suæ præsidium haud vulgare in eo etiam po-
nunt, quod appellatio S. Cœne, quâ dicitur Sacramentum altaris, ex me-
dio papatu orta, adeoq; in script. nullum planè habeat fundamentum.

LXIX.

Sed respondemus: 1. Non omne nobis sordere ilicò debere, quod è
Papatu profectum, quodq; etiam κατὰ τὸ πρῶτον in S. lit. nusquam expressum.

LXX.

2. Verum sanè esse, & nos ingenuè fatemur, Cœnam Domini nominari
Sacramentum altaris; more tamen per antiquo & in orthod. Ecclesiam jam-
dudum invecò. LXXI.

Idq; exemplo laudatissimorum Patrum, inter quos eminent: Atha-
nasius, Augustinus, Chrysof. & Theophylactus.

LXXII.

Athanasius: Christus in sancto altari dat nobis Manna Corpus suum.

Cont. Arium, LXXIII.

Cum quo perpulerè consentit Theophylactus: Ipsum Corpus Domini
est panis, qui in altari sanctificatur.

In cap. 26. Matth. LXXIV.

Non tamen diffitemur, magis propriè quadrare structuræ huic lapideæ
τὸ ἀπέρας τῆς κυριακῆς appellationem, quàm altaris, uti paulò superiùs
ostensum. LXXV.

3. Neq; est, quod Patrum, & in primis Athanasij, authorita-
tem hic magnopere averfentur: cum ipsi ejusdem citent Epistolam ad

B 2

Agentes

Agentes vitam solitariam, ind e₃ probare nitantur, in puriori primitivâ Ec-
clesiâ, eodem Athanasio vivente, non altaria: Sed mensas ad S. Cœnæ admi-
nistrationem fuisse adhibitas.

5. Obj.

LXXVI.
Objectant insuper: Eadem altaria κακοζήλεια quadam à Iudæis
partim, partim à sacrificijs Missaticis, originem suam traxisse.

Resp. 1.

LXXVII.
Verum: 1. & hoc crimen, quod nobis intendunt, nondum ipsi pro-
barunt.

2.

LXXVIII.
2. Notum est illud tritum: Abusum rei tollendum, substantiam
verò eius salvam manere debere.

3.

LXXIX.
3. Hoc pacto, non tantum altaria: sed & templa essent destruenda, quia
nim, pieraq₃ omnia idolomania olim Pontificia inservière.

6. Obj.

LXXX.
Obvertunt adhuc B. Lutheri autoritatem, rejicientis & taxantis
errorem eorum, qui altaria ad usum Cœnæ S. necessaria esse, inscite opinan-
tur ac prætendunt.

Tom. 2. Jen. p. 20.

Resp.

LXXXI.
Sed & hoc loco Lutherum Luthero opponimus, propterea, quia
idem eod. tom. p. 29. disertè docet, ac profitetur, hoc omninò esse ἀδικία Φο-
gov, sive Cœna Dominica in altari, sive in mensâ, administratur. Et quis est
nostrum, qui Altaria ad usum Cœnæ necessaria pronuntiet?

7. Obj.

LXXXII.
Eandem nobis cramben reponunt, contendentes, aras idololatrias
juxta tenorem Scr. S. demoliendas feriò præcipi: altaria verò Pontificia
sceleratæ idololatriæ, sub Sole in toto mundo inauditæ, inserviisse, nempe
in Dei Majorem honorem condita & erecta.

Resp.

LXXXIII.
Veruntamen pervertitur hic rursus ab ipsis: 1. status controver-
sia. 2. Committitur ab eisdem τὸ ἄλογισμός τῆς συμβεβηκότ₃.

2.

LXXXIV.
Interdicta de aris idolomania olim Pontif. destinatis nos non feriunt,
quia, sacrificijs illis apud nos abrogatis, altarium longè alius usus, quiq₃ ab
omni idololatriâ alienissimus.

LXXXV. Vn-

LXXXV.

Unde secundo loco respondemus, ab usum cum usu vero ac legitimo confundi, & sic, quod ex accidenti rei inest, ei καὶ αὐτὸ tribui & ascribi.

LXXXVI.

3. Addimus & hoc, nos hodiè non horrendum illum ab usum altarium, in Papatu exerceri solitum. Sed eum potius usum, qui in arbitrio libertatis Christiane positus, urgere maxime; de quo Paulus admonet Gal. 5. v. 1. τῆ ἐλευθερία, ἣ χρεῖστος ὑμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῶ ὀσλείας ἐνέχεσθε.

LXXXVII.

Quod de pientissimis Magistratibus, cum olim in populo Iudaico, tum nostris temporibus, contra nos affertur: ei equidem tantum abest, ut repugnaremus, si nempe altaria etiamnum eo fine, quo tum, à nobis usurparentur; ut potius omnino ipsis ratione officij eorundem demolitionem incumbere statueremus.

II. DE MODO ACCIPIENDI.

LXXXVIII.

Progredimur porrò ad ceremoniarum genus in administratione S. Coenæ usitatum, modum nempe accipiendi panem & vinum benedictum.

2.
Ceremoniarum genus.
Modus accipiendi panem & vinum Eucharisticum.

LXXXIX.

Miras hinc denuò ψευδάδελφοι nostri Anhaltini movent tragicédias de Modo, quo particulam panis sacri in manum dandam esse contendunt communicantibus, itemq; poculum benedictionis illis porrigendum.

XC.

Sed, antequam ad hoc refutandum accingamur, illud cum primis observandum, quòd τὸ λάβετε vel λαβεῖν quàm latissimè pateat, adeoq; quamvis λήψιν, quocunq; fiat organo, quòve corporis membro, denotet.

XCI.

Hoc præmisso, ad obiectiunculam modò allatam facilis est responsio, eaq; tergemina.

XCII.

1. Nulla ab ipsis istius ritus probatio adhuc adducta.

XCIII.

B 3

2. lamprè



Deinde haud obscura hinc emicant analogia istius Sacramentaria vestigia, quam subinde inculcant inter signum & signatum, adeoque inde conantur evincere, S.S. Eucharistiam nudum tantum signum esse Christi, ejusque beneficiorum.

2.

III. DE ORNATU SACERDOTALI. CIII.

Sed de his plus satis: pergamas ad tertiam ceremoniarum classem, ad quam Ornatu refertur Sacerdotalis.

3.
Ornatu Sa-
cerdotalis.

De hoc sententia & confessio nostrarum Ecclesiarum haec, quod cum Rev. P. Lutero vestitum Missaticum, ornatu Ecclesiasticum & similia, in genere rerum indifferentium esse reputemus, Tom. II. Ien. Germ. f. 20. 63. item: Tom. 3. Ien. p. 26. 61. 62. 63. 106. 107. Et Tom. 2. Ien. p. 24.

Confessio no-
strarum Ec-
clesiarum de
hac ceremon.

CIV.

Quod ipsum etiam auctoritate Confess. August. invariata comprobatur, ubi in genere de ejusmodi ceremonijs docetur, eas tantum observandas, quae sine peccato retineri possunt. Artic. 15.

Testimonium
Conf. Aug.

CVI.

Quod etiam spectat regula illa D. Augustini maxime ἀξιωματικῶ-
νευτ, ea de re epistolā ad Ianuar. 118. hunc in modum differentis:

Regula D. Au-
gust. de adia-
phorist. cerem.

CVII.

Totum illud genus rerum liberis habet observationes, nec disciplina in his ulla melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo viderit Ecclesiam agere, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores est, indifferenter est habendum, & pro eorum, in quos vivitur, societate servandum. CIIIX.

Quae ab Anhaltinis hic rursus agitari solent de vestitu istiusmodi, nusquam à Christo, vel apostolis precepto, nec unquam usurpato, inò ex adverso natura N.T. repugnantes, ea sine ulla veritatis jaclurā ipsis concedimus:

CIX.

Quandoquidem nos ritus istos nullā sub opinione cultus etiam num retinemus: sed tanquam tales, quos penes Ecclesiam, vel servare, vel abrogare.

IV. DE VASIS SACRIS.

CX.

Deinceps à tertio ceremoniarum genere ad quartum procedimus, Vasa Sacra, nempe ad Vasa dispensationis, ejusmodi: Calices, Patehnen, &c.

4.

CXI. Pro

CXI.

Opinio Sa-
cramentario-
rum.

Pro quorum abrogatione hic iterum Sacramentarij, tan-
quam pro aris & focis, nobiscum, vehementer admodum dimi-
cant atq; contendunt.

CXII.

Ejusd, confu-
tatio.
Δύσις ἐν-
5^αο.

Sed tantâ opus non erat ipsorum vehementiâ : siquidem
& ista singula ac universa à nostratibus absq; ulla necessitatis, vel superstitio-
se λατρείας, opinione observari consueverunt.

CXIII.

Neq; quicquam illud præiudicare nostris Ecclesijs potest, quod vasa il-
la antea à Pontificijs usurpata, profanataq;.

CXIV.

Resp.

1. Repetimus enim hic, quod & superius dictum : Tollatur abusus, &
maneat substantia.

CXV.

2.

2. Patrocinator nobis hac in parte merito exemplum Iudaeorum, qui va-
sa illa, quæ rex Belsazar è templo Hierosolymitano abstulerat & multis mo-
dis profanaverat, æquè ac prius, ad sacra sua adhibuere, postquam ipsis à
Cyro restituta:

1. Esdr. 5. v. 14. 15.

CXVI.

3.

3. Tuemur nos privilegio libertatis Evangelicæ, uti in reliquis ritibus,
Ecclesiasticis : ita & hic.

CXVII.

4.

4. Non apparet ulla necessitatis causa, cur calices hujus aut illius, vel
materiæ vel formæ, usitatos in Ecclesijs abrogare velimus, inq; horum locum
alterius materiæ, vel formæ ποσὴν substituire.

CXIX.

5.

5. Quibus ἐκ περιγῶν addimus Lutheri testimonium, quo pro-
batur, etiam in vasis domesticis, non consecratis, si urgeat necessitas, Cœnam
Domini administrare licere.

CXIX.

Hic tamen cautione isthac opus : Non statim, quod libet & licet, id sem-
per faciendum : sed tantum τὸ συμφέρον unice spectandum.

1. Cor. 6. 12, 1. Cor. 10. 23. 33.

PRO-

PROBLEMA X.

Quo loco & tempore Cœna sit administranda ac celebranda.

CXX.

Queritur hic de duabus potis. *περὶ τῆς ἐπιπέσεως*, ad S. Cœnæ admi- Duo circum-
nistrationem pertinentibus; quarum una Locus, altera Tempus. stantia admi-

CXXI.

De Loco Calvinianis nobiscum non convenit. Ipsi namq; censent, non l. Locus. nistr. S. Cœnæ
licere Cœnam Domini, nisi in loco publico, administrare: l. Locus.

CXXII.

Hinc Beza quest. & resp. 239. fol. 363. Locum, nempe publici Ec- Testimon.
clesiæ cœtus, Dominus instituit, cum eam inter discipulos suos ordinaret, nec Beza.
diceret: Hoc facite unusquisq;: Sed hoc facite: Et Paulus dicit: ὅταν συνέ-
χητε, cum convenitis: id quod etiam indicat συνάξεις nomen & vete-
res omnes liturgiæ ostendunt: & ipse etiam scopus horum mysteriorum,
in quibus mutua cum Christo consociatio sancitur, id flagitat.

CXXIII.

Sed respondemus eidem Bezae, adhibito distinctionis maximopere ἀνασχευῆ
necessaria temperamento inter locum ordinari. & extra cas. necess. & extra- sententia
ordinarium, inq; casu necessitatis versantem. Calvin.

CXXIV.

Quod enim rationes modò ab ipso adductas attinet, concernunt
illæ omnes & singulæ locum dispensationis S. Cœnæ ordinarium, adeoq;
cum, qui extra necessitatis casum positus.

CXXV.

Veruntamen de Loco extraordinario, eoz; inprimis, qui in casu ne-
cessitatis ad egrotos spectat, nobis hic sermo potis. est & esse maximè debet.

CXXVI.

2. Idem proximè subsequenti quæstione concedit celebrationem 27. Præ
Cœnæ in domib. privatis, si Ecclesia: cœtus communis inibi conveniat, sicuti
veteribus illis temporibus sub Roman. Imperatorum tyrannide
necessitas postulavit, & nostris adhuc temporib. nimis multis in
locis necesse est.

Q

Præterea, dum idem Cœnam Domini non alibi, quàm in communi & publico cœtu, celebrandâ suadet, & quidem propterea, quod Cœna Domini non sit privata familiae alicujus actio: sed merè Ecclesiastica: sibi met ipsi non constare satis videtur, utpote qui antea concessit, in privatis ædibus Cœnam Domini celebrandam, si Ecclesia; id est, cœtus communis, in iisdem conveniat.

CXXVIII.

Causa celebrationis Cœnæ privatim administrande.

Huc etiam accersendæ sunt causæ, quib. probatur, Cœnam rogatorum domi quoque administrandam.

CXXIX.

Quarum sanè complures afferri poterant: sed ex iisdem potissimas duntaxat hinc delibabimus.

CXXX.

1. Ab exemplo institutoris Christi petitur, quippe qui & primus Cœnam instituit, & eandem simul celebravit.

CXXXI.

Et quidem non in templo Hierosolymitano, aut Synagogâ quapiam Judaicâ; sed in palatio, in diversorio publico ad illam adornato, & eo sine peculiariter ab eodem conducto.

CXXXII.

2. Ab interdicto, de Cœnâ privatim celebrandâ nusquam in Script. expresso.

CXXXIII.

3. A nomine *κοινωνίας*, I. Cor. 10. ex quo haud ineptè D. Hieron. colligit, Cœnam Domini omnib. promiscuè, cum malè, tum benè valentibus, communem esse debere.

CXXXIV.

4. A voce Ecclesia, utriusque cœtui, publico pariter ac domestico, communi, teste Paulo: Rom. 16. v. 4. & ad Philem. v. 2.

CXXXV.

5. A promissione *παρασχίας* Christi, pijs itidem cum publicâ *κοινωνίᾳ* Ecclesie, Matth. 18. v. 20. & c. ult. v. ult. communis.

CXXXVI.

6. A pari jure usus, cum auditus Verbi & usurpationis Sacramentorum, tum Baptismi, eoque tam publico, quàm privato, attestante Cypriano. Lib. 4. epist. ep. 7.

CXXXVII.

Porro de Tempore miris modis Pontificij à nostris Ecclesijs dif. 2. Tempus. sentiunt.

CXXXVIII.

Sic enim traditur in Iur. Can. De consecratione dist. 2. Can. 116. p. 1170. Sententia: Est non frequentius, saltem in anno, ter laici homines communicent, (nisi 1. Pontificia- forte quis majoribus quibuslibet criminib. impediatur) in Pascha Vi- rum, delictet & Pentecoste, & Natali Domini.

CXXXIX.

Quod ipsum repetitur, ibid. c. 119. Seculares, qui in Natali Do- mini, Pascha & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CXL.

Quò etiam pertinet, quod Beza quest. & resp. 138. Audimus, à In- 2. deis Christianos rideri, qui tam manè cœnent, & quidem contra Christi Iudaeorum ipsiusq. vetustissimæ & Apostol. Ecclesia morem.

CXLI.

Verùm nostratium constans confessio & doctrina hac de re est: 1. Ni- 3. bil de Tempore in Institutionis verbis à Christo præceptam: Orthod. sen- tentia, cuiusq.

CXLII.

2. Imò, quod maximum & caput hujus rei, in matutino potius conventu, rationes. quàm vespertino, Cœna Domini celebranda ideò, ut ad auditum verbi Dei, & 2. mysterium S. Eucharistia Φ ερικωδέστωρ, summâ cum attentione & reve- rentiâ tractandum, eò paratioribus animis accedatur.

CXLIII.

Causa autem cur Christus hoc sacratissimum suum epulum vespere, Beza in resp. non manè, celebraverit, afferri possunt duæ. & quest. 138. p. 363.

CXLIV.

1. Namq; voluit, typum, sive istud N. T. quod ab ipso hîc institutum, Sa- Cause duæ cramentam hoc modo respondere suo antitypo: Pascha enim olim in V. T. cœna circa vespeream à Christo insti- inter duas vespereas macari consueverat. tuta.

CXLV.

2. Veteribus in more fuit positum, semel duntaxat, vespere nim. discum- tuta. bendo Cœnam sumere.

CXLVI.

Colophonis loco, præsentî huic problemati mox imponen- di, placet hîc paucis attexere causas π ρονολογητικὰς, easq. cum γ ενικὰς, μ ησιν ειδικὰς, ob quas ad mensam Domini sæpiùs accedendum.



CXLVII.

Causa πρῶ-

καλαρητικῆ ἐδίδητε ἢ πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. I. Cor. II. v. 25. 26.

accessionis

CXLIX.

credioris ad

Mens. Domi-

ni.

2. Gloria & cultus Dei, subinde in nob. magis magisq; excitandus
consideratione accuratiori Φιλοσοφίας Christi Ἐσιάσθη erga nos in-
effabilis.

CXLIX.

1.

2.

3.

3. Utilitas, cum necessitate summâ conjuncta, remissionis nempè pecca-
torum & vite eterne, nobis promissa.

CL.

4.

4. Necessitas vivida consolationis conscientie, memoriâ passionis & mor-
tis Christi in usu Cæne sapius repetenda & corroboranda.

CLI.

5.

5. Necessitas invocationis seriae & gratiarum actionis pro beneficijs Chri-
sti innumeris, quin etiam totius Christiane pietatis, usu Cæne, equè ac
auditū Verbi, Subinde in nobis adaugenda; de quâ videatur D. Luth, in
exhortatione ad usum Cæne frequentem.

Tom. V. Ien. p. 351. & in c. 3. Ioël.

F I N I S.




AB: 195067

ULB Halle

3

003 019 209




56.





GEHART WOLFFEN
HCALEVEYANTISSON



CHRISTO CLEMENTER ASPIRANTE,
**PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est
DE SACRAMENTO
COENAE,
DECADIS SECUNDÆ:
Problemata. VIII. IX. X.
*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,
SUB PRÆSIDIO
JOHANNIS FÖRSTERI
SS. Th. D. & Prof. Ordinarii,
RESPONDENTE
M. MATERNO SCHILTERO
Lipsiensi.
*Ad 11. Januar. horis locog. consuetis.
VVITTEBERGÆ,****
Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.

17

